

# SECUNDA PARS

PRINCIPALIS HVIVS OPVSCVLI, DE  
 Generali ac particulari diuisione nostræ habitabilis se-  
 cundum recentiores cum Geographos tum  
 Hydrographos.

## De generali diuisione terræ.

### CAPVT I.



**T**erræ moles cum ab Oceano tanquam ingens quædam insula circumda-  
 tur, quæ & si unica sit, in tres tamen partes uetustiores illam distinxe-  
 runt, quarum primam Europam septentrionalem, nostram; secundam  
 Africam meridionalem, à nobis; tertiam uere Asiam orientiorē, à no-  
 bis uocauere. Europa ab Asia separatur per Tanaim fluuium, paludes  
 Meotides, mareq; Euxinum. Africa seiungitur ab Europa per mare Mediterrane-  
 um. Asia uero ab Europa per terminos prius expositos, separatur & ab Africa, Isth-  
 mo Iudaico & mari rubro. Europa ab occidente mari Atlantico, à Septentrione  
 Britannico, ab oriente Tanai fluuiio, Meotide palude, & mari Pontico, siue Euxino,  
 à meridie mari mediterraneo, quod nostrum est mare, clauditur. Africa ab occidente  
 mari Atlantico, à meridie Oceano Aethiopico, à septentrione mari mediterraneo,  
 ab ortu Isthmo Iudaico ac Sinu Arabico. Asia quæ cæteras magnitudine & opibus  
 uincit, ab occidente habet eosdem terminos quos Europa, & Africa, à septentrione  
 terminatur Oceano Scythico, ab oriente orientali Indico, à meridie meridionali  
 Indico & rubro. Non solum autem prædictæ tres partes nunc latius sunt lustratæ,  
 uerum & alia quarta pars uisa & partim lustrata, quam recentiores Brasiliam appel-  
 larunt, sitam uersus polum Antarcticum, longo tractu ultra tropicum Capricorni,  
 quæ nondum plenè cognita est. Americus tamen Vesputius, maritima loca Indiæ su-  
 perioris ex Hispanijs nauigio ad occidentem perlustrans, eam partem quæ superio-  
 ris Indiæ est, credidit esse insulam, quam à suo nomine uocari instituit. Alij uero  
 nunc recentiores Hydrographi, eam terram ulterius ex alia parte inuenerunt esse  
 continentem Asiæ, nam sic etiam ad Moluccas insulas superioris Indiæ peruenerunt.  
 Hanc continentem Asiæ superioris portionem extra Ptolemæum, ante nostra tem-  
 pora, ab Marco Polo Veneto, & alijs quamplurimis lustratam legimus. Petrus etiã  
 Cardinalis Cameracensis, in eo libro quem de imagine mundi conscripsit, capite 19.  
 ponit: quòd Oceanus qui extenditur inter fines Hispaniæ ulterioris, id est Africa, à  
 parte occidentis & inter principium Indiæ, à parte orientis, non est magnæ latitu-  
 dinis. Nam expertum est, quod hoc mare nauigabile est paucissimis diebus, si uen-  
 tus sit conueniens, & ideo illud principium Indiæ in oriente non potest multum dis-  
 stare à fine Africa, hæc ille. Hoc idem uidetur sensisse Plinius Libro secundo natu-  
 ralis historiæ, capite 69. Aristoteles etiam in libro de admirandis in natura auditis,  
 de illis scriptum ita reliquit: Trans Herculis columnas in eo mari quod Atlanticum  
 dicitur, inuentam quandam insulam à Carthaginensium mercatoribus olim fuisse in-  
 quiunt, à nullis ante id temporis habitatam, præterquàm à feris, & propterea silue-  
 strem admodum & multis refertam arboribus; alioqui fluminibus plurimis ad nauis-  
 gandum abtissimis plenam, ac incredibili quadam omnium rerum nascentium uber-  
 tate profluentem, sed remotam à continenti plurium dierum nauigatione; ad quam  
 cum nonnulli Carthaginensium mercatores forte accessissent, capti q; eius loci ferti-  
 litate